DE M. MANILIO POETA

Particula prior,

qua de eius nomine, aetate, patria et ingenio agitur.

Einladungsschrift

zu den

auf den 12ten, 13ten und 16ten April

angeordneten

öffentlichen Prüfungen, Versetzungen und Redeübungen der Schüler

in der St. Katharinenschule in Lübeck,

von

Fr. Jacob,
Direktor und Professor.

Der Anhang enthält die sechs und zwanzigste Fortsetzung von kurzen Nachrichten über die St. Katharinenschule in Lübeck.

Lübeck 1832.
Gedruckt bei G. C. Schmidt,
E. Hochedl. u. Hochw. Raths Buchdrucker.

Decimus hic annus agitur, ex quo coniunctionum Latinarum utroque cum modo coniungi solitarum vim ac naturam plenius, quam ad id factum est, aperiendam mihi proposui. Nam plerique grammatici alii id tantum agunt, ut, consilio quidem optimo, qui usus aurea literarum Romanarum aetate valuerit, perspicuis regulis selectisque Ciceronis, Livii, aliorum exemplis demonstrent; alii vero totius linguae usum et consuetudinem doctrina amplexi sunt; qui plerique neque secula, neque varia dicendi genera, neque singulorum scriptorum indolem ordine distinxerunt, sed correptis undequaque commistisque et poetarum et oratorum paucis exemplis regulas effantur, quas qui secuti sunt, singulos scriptores scindendo, urendo, paene dicam, pessumdederunt. Sic, quantum in Plauto erratum temereque illatum vitiorum sit, dici vix potest *). Cui labi a prioribus seculis in nostra defluenti tempora succurrendum esse plurimi viri docti et intellexerunt et edixerunt; ego vero arduam hanc rem subire ausus sum. Quod ut fieri posset, nova erat instituenda particularum collectio, quae scriptorum aetates prosequens, non id quod interpretes tentassent, ~~arriperet~~, sed quod probatissimi codices monstrarent, accuratissime componeret ac diiudicaret; ut inde demum, quid vel quaeque aetas, vel cuiusque scriptoris ingenium, vel totius linguae natura tum ferret tum iuberet intelligeretur. In eoque exantlando labore ad Neronis usque im-

*) Quid quod ipse Godofr. Hermannus, quum Carpentarii (L. B. 1513 8.) editioni interpolatae maiorem, quam debebat, fidem tribuisset, in Praef. ad Trinum . nullo modo probandam in hac re regulam proposuit, qui in antiquioribus L. L. scriptoribus neget ad vivum resecandam esse modorum rectionem; eam quidem serioribus demum temporibus constitisse. Atqui non, quo antiquiores linguae Semiticae, eo rudiores esse solent; sed ut in aliis analogiae partibus, ita in modorum electione acerrimo sensu prisci illi homines usi reperiuntur. Quod non minus apud Latinos et in Plauto valet; in quem, coniunctivo praesertim invehendo, saepissime peccaverunt. Nam particula *quum* fere ubique indicativum apud eum flagitat, coniunctivum plerumque interpretibus debemus; velut Amphit. V, 2, 4, omnes quas novi inde a Camerario editt. praebent: *Multo adeo melius, quam illi, quum sim Juppiter;* sed omnes MSS., ed. pr., Ven. 1485, Pius: *quum sum Juppiter.* Pseud. I, 5, 61, *Quid censes? Edepol merito esse iratum arbitror, Quum apud te parum stet fides;* quod nunc, ut stet versus, correxerunt: *stet parum fides.* Cod. vero uterque Camerarii (longe in Plauto optimi) *parum ste fides* habent. Unde facile est verum eruere: *Quum apud te parum'st ei fides.* Interdum tamen ipsi codd. errant, ut in Asinaria. Servi duo fraude mercatorem quendam circumventuri alter se atriensem simulavit et in tonstrina se homini obtulit. Eum iam fictum atriensem mercator domi quaerens cum altero servo fraudis socio colloquitur II, 3, 13: Libanius servus: *Si sit domi,* (herus) *dicam tibi.* Merc. *Quid, eius atriensem?* Li. *Nihilo mage intus est.* Merc. *Ubi 'st?* Li. *Ad tonsorem ire dixit.* Merc. *Quum venisset, post non rediit?* Quod explicant: nonne rediit, postquam illuc abiit? Id vero vel ob id falsitatis suspicionem movet, quod *quum* coniunct.

perium progressus aliquantisper substiti, ut tamen, quid esset inventum, antequam silva rerum densior oculorum aciem hebetaret, limatius perspicerem. Itaque qui usus particulae *Quum* ad Gracchorum fere aetatem fuerit, proponere hac scriptiuncula volueram. Verum quum libris aliquamdiu esset carendum, dein morbi diuturni languor fatalis interveniret, tum vero multa in me scholastica munera diu ob aegritudinem intermissa irruerent; abiiciendum scilicet erat in mediam iam viam promotum consilium, alioque vertendum, in quo et otii minus flagitaretur animique remissio concederetur supinior. Statui igitur ex M. Manilii astronomicon libris (i. e. ex eius poëmate astrologicas, quae nunc dicuntur, rationes tractante) locos quosdam excerpere, quibus quomodo in poëtis interpretandis corrigendisve versandum esset posset patere. Si quidem id quoque non sine fructu futurum intelligebam, si, quae esset supellex in tali negotio ante comparanda, qua deinde via eundum, quae pericula quibus cautionibus essent declinanda, quae carpenda adminicula, quae iudicii vel fulturae vel illecebrae dispiciendae, fusius doceretur, quam librorum impressorum pati plerumque rationes adsolent. Quod autem ipse me altius in astrologicas superstitiones immergerem, in causa erat ipsa ista particularum consectatio. Mox enim, quum accessissem ad Manilium, id quidem mihi liquere coepit, sine accuratiore MSS. inspectione nihil posse certi de eo scriptore statui. Deinde vero insignes iudicandi de singulis difficultates, et mirum poëtae ingenium, et MSS. depravationes inauditae, et ingeniosissimorum hominum, Scaligerorum, Bentleiorum, D'orvilliorum concertationes [b]) adeo

---

plusq. adsumsit, quem nec ista aetate ad eam part. umquam, et apud omnes poetas rarissime invenies. In quibus cunctis haec tantum exempla reperi. Incerta: Lucil. Fragm. Sat. II. *Quem illi quum vidissent Hortensius Postumiusque.* eiusd. L. XXVI.: *Quum studio in gymnasio in duplici corpus siccassem pila.* Certa haec: Catull. LXVIII, 75: *quum sanguine sacro-pacificasset heros.* Tibull. I, 5, 12: *Carmine quum magico praecinuisset anus.* Ovid. Heroid. XV, 161: *quum lassos posuissem-artus.* Met. II, 534. *quum candidus ante fuisses.* III, 476: *Quam quum vidisset abire.* VIII, 580: *Quum bis quinque iuvencos-mactassent.* XI, 340: *Quum se saxo misisset.* XII, 11: *quum sacra parassent.* Script. in Obit. Maec. 126: *quum iam torsisset habenas.* Ovidium vides etiam in hac re novatorem. Sed aliud maius est in Plauto. Quamquam enim Latini verba eundi et veniendi inter se mutant interdum, tamen, ubi ea verba in antithesi sibi opponuntur, *(ire, redire,)* quod hic est, nemo unquam potuit alterum pro altero scribere. Itaque, quum Palat. 4. glossam superscribat *ivisset,* eam in carmina recepit Bothius. Non recte. Nam quis unquam etiam orator hic coni. plusq. usus esset, ubi *quum* est *postquam* i. e. *ex quo?* Itaque sic legamus: *Ad tonsorem ire dixit.* Merc. *Conveni; set post non rediit?* Fraudis suspicionem iam eximi sibi iudicans: *Conveni,* ait; nam in tonstrina istum viderat, ut putabat. *Con* et *quom* ubique fere pro libidine scribuntur a librariis, ut haec non correctio, sed syllabarum melior dispositio dici debeat. De coniunctivo unum nunc addo; in oratione obliqua, quae per *ut, ne,* etc. inducatur, etiam plusq. in coni. ad particulam *quum* accedere. Terent. Phorm. III., 2, 17: *Neque, Antipho alia cum occupatus esset sollicitudine, Tum hoc esse mi obiectum malum!* *Neque* est *utinam ne,* unde apparet scribendum: *hoc esset mi obiectum malum.*

[b]) Ed. pr. est Jo. Regiomontani, a. 1472, 4to, Norimb., quae fluxit e cod. interpolato. Licet enim ex uno libro omnia, quae habemus, exemplaria scripta profecta sint, tamen alii libri omnia autographi menda fideliter servaverunt, ut Vossianus 2. & Lipsiensis; alii pauca prudenter correxerunt, ut Gemblacensis et audacius paulo Venetus; alii satis pingui plerumque iudicio vitiosas lectiones eximunt, velut Cassinensis, Oxoniensis, Palatinus et Parisinus. Lips.

me devinxerunt, ut absistere ab opere incepto non possem, nisi ad umbilicum perduxissem omnia. Quam vero anceps de scriptore atque eius aetate iudicium sit, vel id ostendit, quod alii eum aevi aurei aureum scriptorem praedicaverunt, alii tanquam hominem Christianum, tum barbarum ad Theodosiana usque reiecerunt secula, alii velut suppositum et fictitium prorsus induxerunt. Ea vero iudiciorum fluctuatio partim inde profecta est, quod a quo hi libri compositi sint, nequaquam constat. Etenim antiquissimus Gemblacensis nullam nominis refert inscriptionem, nisi quod manu recenti appictum est: *Manlius poëta;* Lipsiensis et Vossianus 1. *Arato* tribuit *philosopho;* in utroque autem manus recens superscripsit nomen M. Manilii; Vossianus 2. ita variat: L. I. *M. Mallii EQVOM* (volebat fortasse EQROM, i. e. equitis Romani) *diuo oct. quirino aug. proemium.* L. II. *Marcii Mallii astronomicon.* L. III. *M. Mallii boeni astronomicon.* L. IV. *M. Mallii astronomicon.* ante L. V. inscriptio nulla est. Vossianus Spanhemii: *Marci Mallii Antiochi Boemi Astronomicon Divo Octavio Quirino Augusto* *). Erat autem is Manlius (vel Mallius) Antiochus, cui inscribunt poëma, bello Punico tertio ex Africa Romam delatus, et illic manu missus astrologiae, ut ait Plinius, apud Romanos conditor. Quae secula non ad hunc Manilium apta esse, qui post cladem Varianam scripserit in aperto est. Liber Cassinensis recentior *Caii Manilii*, recen-

---

vero correctiones istas ex magna parte superscriptas exhibet, unde serior earum origo oculis ipsis cernitur; eas plerasque in ipsa carmina recipit Voss. 1. Illam vero ed. pr. sequuntur fere omnes usque ad Jos. Scaligerum. Etiamsi enim antiquis edd. (rarissimis) praeter Basiliensem (Hervag. 1551. fol.) uti mihi non licuit, vix tamen ita statuens errasse coarguar. Scaliger igitur primus (in ed. 2.) Gemblacensi usus est optimo, neque solum verba emendavit egregie, sed eruditione, quae in eo viro summa erat, praeclare sententias et doctrinam aperuit tribus editionibus: Lutet. 1579, 8vo.; Lugd. Bat. 1600, 4to.; Argentor. 1655, 4to. (ultimam curavit Boeclerus.) Post illum quievit Manilius usque ad Richardum Bentleium. Nam Mich. Fayi (Paris, 1719, 4to.) aliorumque operaria industria vix verbo memorari debet; quamquam praeclaram accessionem Fayi ed. habet, Danielis Huetii animadversiones, quibus non minora diffusae eruditionis quam iniquae Scaligeri obtrectationis specimina edidit. Verum Bentleius optimis copiis largissime instructus, diuque (per annos XL.) editionem molitus denique opus non absolutum Richardo nepoti qui vulgaret tradidit. Lond. 1739, 4to. Itaque factum est, ut haud pauca, quae carpi possent, relinquerentur. Ea igitur libri indoles, tum ingens corrigendi audacia et frequentes aequalium susceptae inimicitiae innumeros elicuerunt castigatores Bentleii Maniliique, Burmannum, D'orvillium, editores Misc. Britan., Heringam, Rhoerium, Vierschrotum, Stoeberum, Jo. Schraderum. E quibus unus Stoeberus Argent. 1767. 8vo ipsos Manilii libros cum commentario edidit. Ingenium autem eius hominis Terentius describit, Heautont. V, 1, 4 sq. Hoc dicam, spreta optimorum librorum auctoritate revertisse eum ad interpolatos. Quumque Bentleii invidia nondum exstincta esset, inventi sunt, qui eum sequi mallent, quum Scaligeros atque Bentleios. Egregio vero iudicio Bentleii rationes, quamquam non in omnibus, amplexus Manilium edidit et Gallice vertit Pingré Par. 1786, 8vo.

*) Asservantur nunc quidem in bibliotheca Academiae Lugduno-Batava Manilii codices Vossiani duo, qui, quod cum Isaaci Vossii librorum collectione pretio coemta illuc venerunt, eo nomine insigniuntur. eorum alterum optimum 2dum, alterum neque ipsum spernendum 1mum notavi. Sed tertium apud Vossium fuisse, 2do. simillimum, apparet ex collatione ab Ezechiele Spanhemio instituta ad Windsoram in villa J. Vossii, mense Septembr. 1679. Eam, quae in Bibliotheca Berolinensi inter Diezii libros servatur, liberalitati Wilkenii v. ill. debeo. Accuratius de iis codd. reliquoque, quem conferre contigit, apparatu critico alio loco erit tractandum.

tissimi *M. Manilii* nomen praefigunt. Quod tamen etiam antiquioris seculi auctoritatem nactum est. Siquidem Gerbertum (Sylvester II. cognominatus a. 1003. Pontifex Maximus obiit) epistola CXXX. M. Manilii libros de astrologia ab amico petere, Fabricius in Bibl. Lat. auctor est. Sed arrepto etiam hoc Manilii nomine, vix tamen quis ille fuerit et quando, didicimus melius. Accidit enim ei, quod Q. Curtio et aliis, ut a nemine neque poëta neque oratore neque grammatico antiquo unquam in partes vocatus sit; quamquam enim Cod. Lips. ad L. I. 693—96. in margine adscribit: *hoſ treſ verſuſ ducit in exemplum priſcianuſ*, nusquam tamen ab eo Grammatico Manilii mentio facta est [d]). Itaque in alia omnia, ut supra significavi, ab interpretibus discessum est. Neque nunc singulorum de poeta opiniones proferam, ut quas omnes Bentleius refutaverit, Praefat. p. XI, sq.

---

[d]) Hinc ea opinio nata est, quasi opus non absolutum nec publici iuris factum diu omnibus ignotum latuerit. Cf. prae ceteris Pingré, praefat. Neque ego, quod contra afferam, magnopere invenio. Nam quod Grat. Cyneg. scriptorem a Manilio pendere aiunt haud pauci, vix recte faciunt. Siquidem Grat. poëma non solum Ovid. noverat, (Pont. IV, 16, 34: *Aptaque venandi Gratius arma dabat*) sed etiam Manilius V, 199: *Venatus non ille quidem, verum arma creatis Venandi tribuet.* uterque exprimens Grat. vs. 21: *His ego praesidiis nostram defendere sortem Contra mile feras, at non sine carmine nisus, Carmine et arma dabo Venandi et persequar astus Armorum.* Vulgo: *et non sine carmine, nisus carmine;* in fine *artes;* ego ex MS. *astus.* Quid, quod totum illius poematis argumentum recenset Manil., quum pergit: *catulos nutrire sagaces,* 1) *Et genus a proavis, mores numerare per urbes;* 2) *Retiaque* 3) *et valida venabula cuspide fixa, Lentaque contextis formare hastilia nodis.* 4). 1) Grat. 150: *Sed cur exiguos tantis in partibus orbes Lustramus? Prima illa canum, non ulla per artes Cura prior.* Ubi omnes iure offendit: *Canum prima cura, nec ulla prior.* Scribo: *Premit illa canum; non ulla per artes cura prior. Lustramus* et *premit* in antithesi sunt, ex horum poëtarum more. Ipsam catulorum nutritionem vid. a vs. 287; ubi signa innatae fortitudinis pulchre descripta vs. 293. Catulus fortis inter fraterculos debiliores *Affectat materna regna sub alvo; Ubera tota tenet, — sed tergo liber aperto, Dum tepida indulget terris clementia mundi. Verum ibi Caurino perstringit frigore vesper, Ima placent, turbaque potens operitur inerti.* Bis correxi; semel: *sed tergo;* cod: *tenet * ea * tergo.* Deinde: *Ima placent;* Cod: *Ire placet.* — 2) *vs.* 153, 59. In qua parte cod. lectionem temere spernunt, vs. 182: *Sed virtus irrita damno est. At vestram non vile genus, non patria vulgo, Sparta suos et Creta suos promittit alumnos.* Oratio obscurior et Manilianae similis ita intelligenda: At vestram virtutem (de Metagonte agitur) promittit seu praestat genus non vile, patria non vulgaris, Sparta et Creta; (his enim parentibus Metagon nascitur.) vs. 256. contra correctione iuvandus: *Thoes commissos (clarissima fama) leones Et subiere astu et parvis domuere lacertis. Nam genus exiguum et, pudeat quam informe fateri, Vulpina specie; tamen huic exacta voluntas. At non est alius, quem tanta ad munia fetus Exercere velis.* Ubi duplicem apodosin vides haud ferendam: *sed* exacta voluntas; *at* optimus ad catulos procreandos. Lego: *Vulpina species; tarda huc exacta voluntas. Species* est ex Cod; it. *huc.* Thoes, ferae, *tarde* ad usus domesticos domantur, domiti praestant. 3). A vs. 75. Etiam in hac parte quaedam menda eximere conemur poëmati pessime habito. Vs. 82. interpretes codicem non recte corrigebant: Formido *non sit creberrima nexu. Irreprensa suis properantem linea pinnis Implicet atque ipso mendosa coarguat usu. Irreprensa,* quod corrigunt, est *irreprehensibilis.* Sententia haec: Formido ne sit densior; nam irreprehensibilis (non facilis collectu) properantem te implicet et ipso usu mendosa coarguat (properantem mendorum.) Idem fecerunt vs 93: *Quid, qui dentatas iligno robore clausit Venator pedicas, quam dissimulantibus armis?* Corrigunt *quum;* sed apponit Grat. *quam* positivo frequentius, quam alii; 81: *quam clara;* 118: *quam longa.* 47: *Cannabias nutrit silvas, quam commoda nostra Armamenta operi; gravis est tutela, sed illis Tu licet Haemonios includas sentibus ursos.* Locum interpunctione restitui; vulgo: *gravis est tutela sed illis. Tu licet etc.* — 4) In hac parte pessime habitus ac desperatus est vs. 131: *Taxique pinusque Alti-*

Est vero etiam altera causa, cur tam discrepantes de Manilii aetate et ingenio sententiae prolatae sunt, in orationis et verborum memorabili indole posita. Namque oratio, modo tumore inflata, modo plane demissa, modo diffluens verbositate, modo in brevissimum argutiarum gyrum inclusa et aenigmatum subtilitatem sectata ingenti quadam inaequalitate laborat. Neque minus inaequalia singula verba; alia Latina, electa, poetarum usu sancita, alia detorta, nova, sine exemplo, barbara. Unde si cui illa sedebant, laudabat, quorum haec pepulerant animos, ad infima protrudebant secula. Fuerunt etiam, qui vitioso pulchri iudicio peccarent; velut turgescens Andromedae fabula in L. V, vel Ovidiano ingenio maior aliquibus visa est. Verum, nisi totum poëma suppositum putabimus, cuius suspicionis nulla est causa idonea, aetas quidem, qua sit opus conscriptum, ex ipsis carminibus facile demonstratur. Ita in Augusti laudibus multus est, ita aurea secula iam reddita terris praedicat, lamentatur de clade Variana, (I, 894: *ut, foedere rupto, Cum fera ductorem rapuit Germania Varum* *); de bello Actiaco, (I, 912: *Necdum finis erat; restabant actia bella, Dotali commissa acie, repetitaque rerum Alea et in ponto quaesitus rector Olympi;* ubi

natesque genistae; Et magis incomptos opera lutores agestis Termes. Refingam: *Sed magis in comptus opera cultoris egebit Termes. Termes* vocatur quivis incultus ramus arte dirigendus, et opponitur *virgae tureae,* quam ipsa natura rectam fingit; velut vs. 138. *Nunquam sponte sua procerus ad aëra termes Exiit.* Hunc ergo ait opera cultoris egere *ad comptus,* i. e. ad decoram et utilem venatori formam. vs. 136, restitue ex cod: *multo sunt facta labore Cetera, quae silvis errant hastilia nostris.* Corrigunt *ficta;* sed *facta* sunt polita, ut apud Horat. Serm. I., 5, 32: *factus ad unguem homo;* ap. Cic. Brut. 8: *facta oratio* etc. Vs. 148. ita legitur: Hastilia *caede manu, dum pomiferis advertitur annus Frondibus, et tepidos autumnus continet imbres.* Vertit et vertitur annus, sed non advertitur hortis. Cod: *annes;* corrige: *advertitur amnis Frondibus.* Praecipit, ut hastilia primo autumno caedantur, quando tempestas est arida. Tum rivos ad pomaria advertebant. cf Otfr. Müller Hetrusker, II, 52. Colum. X, 49: *At si cruda manet caelo durata sereno, Tum iussi veniant declivi tramite rivi.* Sed plura in aliud tempus reponenda. Melius fortasse aliquis teste Velleio utatur, Manil. suo aevo non ignotum fuisse probaturus. Ita enim Man. IV, 767: *Tumque domus vere Solis* (Rhodos) *cui tota sacrata est, Cum caperet lumen magni sub Caesare mundi. Lumen mundi* est Tiberius. Quem eundem Vellei. II, 99: *vere alterum reip. lumen;* ubi *vere* videtur nobilitatae tunc alicuius sententiae assensionem in se habere. Haud minima etiam inter Man. et Lucil. Junior. similitudo verborum et sententiarum, quam in huius Aetna exemplis multis mihi monstrasse videor. Egregie etiam cum Man. Nemesianus concinit Ecl. I, 40: *Jam si sublimes animae caelestia templa Sidereasque colunt sedes mundoque fruuntur,* Man. I, 759: *Huc migrant ex orbe suumque habitantia caelum Aethereos vivunt annos mundoque fruuntur.* Unum novi locum, qui omni modo ex Man. sumtus videatur. Hic enim V, 12: *Hinc vocat Orion magni pars maxima caeli.* Quod quum in ingenti isto astro commode dicatur, elegantiam admiratus non aptissime in laudes Lunae transtulit is, qui Epigr. XV, L. V, Tom. II. Anthol. Burm. composuit: *Luna decus mundi, magni pars maxima caeli.*

*) Hic in transcursu Velleio suam manum (nisi fallimur) reddamus II, 105: Recensentur res a Tiberio a. p. Chr. quinto in Germania gestae: *Intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci, et amnis, mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis; penetrata ulteriora,* etc. In quo nos primum erigit medium asyndeton interposita et sine causa fractum; maior accedit suspicio, si quam longe ab edit. princ. correctores abierint, videmus; haec enim: *recepti Cherusci gentes et inamminus.* Unde legam: *recepti Cherusci, gentis et eius Arminius, mox nostra clade nobilis* . *eius* compendio scribitur *ei*; hinc factum *in.* A Tiberio tunc Romam deductum esse Arminium, quum *reciperentur* Cherusci, admodum est probabile. Arminium autem sic nanciscimur XXIII. annos natum ac per lustrum moribus et artibus instructum Romanis, qua neque aetate nec tempestate aptior ulla reperiatur.

orationis mire argutae exemplum habes); de bellis civilibus vix finitis memorat, (I, 919: *Aequora Pompeius cepit defensa parenti. Sed satis hoc fatis fuerit; iam bella quiescant.*) Quibus locis alius accedit pluribus exponendus, L. V, 763, ubi de Tiberii secessu in insula Rhodo ita ait: *Virgine sub casta felix terraque marique Est Rhodos, hospitium recturi principis orbem.* (Virginem castam intellige Astraeam seu Erigonen, cuius sub tutela, ut terrae aliae sub aliis astris, Rhodos est.) Sed quum etiam hoc versu probari contendunt, Manilium sub Augusti imperio opus finivisse; vereor, ne in errore versentur interpretes. Nimis enim ille secessus ignominiosus fuerat, quam qui recenti adhuc memoria in gloriationem posset converti. cf Sueton. Tiber. c. 10—13. Et alia tunc carmina in eum iacta sunt, quorum specimina praebet idem Sueton. c. 59: *Non es eques! Quare? Non sunt tibi milia centum; Omnia si quaeras, et Rhodus exilium est.* Etiam quum regnaret; ibid: *Et dic, Roma perit: regnabit sanguine multo, Ad regnum quisquis venit ab exilio.* Atque huiusmodi carminibus fortasse exacerbatus interdum, etiam quum in imperio esset, graviter ultus est, si qui Rhodi memoriam revocare videbatur; ibid. c. 56: *Xenonem quendam exquisitius sermocinantem, quum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset, et ille respondisset, Doridem; relegavit Aenariam: existimans exprobratum sibi veterem secessum, quod dorice Rhodii loquantur.* Verum deinde, quum gliscente adulatione neque cives puderet, quovis mendacio demulcere principem, nec obdurato ore Tiberius curaret, quam abiecto praeesset Populo Romano; non minore iure his versibus ornare poëma suum Manilius poterat, quam epigramma suum conscribere Antiphilus, L. IX, ep. 178. in Jacobsii Anthol. Palat: Ὡς πάρος Ἀελίου, νῦν Καίσαρος ἁ Ῥόδος εἰμὶ Νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων. Ἤδη σβεννυμέναν με νέα κατεφώτισεν ἀκτίς, Ἅλιε, καὶ παρὰ σὸν φέγγος ἔλαμψε Νέρων. Πῶς εἴπω; τίνα μᾶλλον ὀφείλομαι; ὃς μὲν ἔδειξεν ἐξ ἁλός, ὃς δ' ἤδη ῥύσατο δυομέναν. Quod ita Latine vertas: *Solis ego quondam, nunc Caesaris insula dicor; Jacto namque Rhodos lucem ab utroque parem. Paene exstincta novo collustror luminis ictu, Phoebe, tibique obstans par erit igne Nero. Utri me fatear gratam magis? Extulit undis* [*]) *Ille, sed occasus depulit ille minas* [**]).

---

[*]) Ῥόδος ἐστὶ νῆσος, ἣν τὸ παλαιὸν ἐν βυθῷ κρυπτομένην Ἥλιος ἀνέδειξεν, αἰτησάμενος παρὰ θεῶν ἰδίαν γενέσθαι τὴν ἀναφανεῖσαν. Philo Byzant. de sept. orbis spect. θέαμ. Δ.

[**]) Vides, quam hae laudes exaggeratae sint. Unde acutissimi interpretes non ad Tiberium referendas dicebant, sed ad Claudium Neronem, qui libertatem Rhodiis ademtam reddidit. Sed Cod. Palatin. integram epigr. inscriptionem exhibens, ad Tiberium pertinere nunc comprobat: Εἰς Ῥόδον τὴν νῆσον Ἀντιφίλου τοῦ Βυζαντίου · ὅτε Νέρων ἐν αὐτῇ παρεγίνετο διὰ τὸν κολοσσόν. Concludas ex verbis postremis, Tiberium Solis colossum restituendum agitavisse.

Quid, quod ipse Velleius, historiarum scriptor, a vero declinare non est veritus? II, 99: *Illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum, ut omnes, qui in transmarinas provincias profecti, visendi eius gratia undique venientes semper privato (si illa maiestas privata unquam fuit), fasces suos submiserint* [a]).

His fere causis adductus non tam id his versibus probari dicam, opus esse sub Augusto finitum, quam continuatum sub Tiberio. Accedunt praeterea alia quaedam, quae nos eodem dirigunt. In myriogenesi Nepae eas tantum, quas extrema cauda gignat naturas edocet IV, 554; idemque V, 329. unius Arae mentionem iniicit, quia utrumque astrum ad Tiberium pertinebat, qui teste Suetonio (c. 5.) XVI. Cal. Dec. lucem adspexerat. Quum autem maioribus laudibus eas genituras efferat, quam apud ullum scriptorem, qui de hac arte egerunt, invenias, nonne proclive erit putare, ob Tiberium celebrandum id esse factitatum? Neque minus ad Tiberium respexisse aio, quum Nepam respectare ad Italiam doceat IV, 778. De quo loco pluribus erit tractandum: *Inferius victae sidus Carthaginis arces, Et Libyam, Aegyptique latus donataque rura, Tyrrhenas lacrimis radiatus Scorpios arces Eruit; Italiaeque tamen respectat ad undas, Sardiniamque tenet, fusasque per aequora terras.* Versum tertium (*Tyrrhenas* etc.) Scaliger et Bentleius tanquam suppositum proscripserunt. Esse enim sine ullo sensu, et Scorpii nomen interpolatorem prodere, non videntem *inferius sidus* in versu primo memoratum Scorpion ipsum esse, ita quidem vocatum, quia infra Libram esset, de qua proxime egisset Manilius. In quo verba portentosa esse, et Scorpii nomen inane concedimus; quae inde consequi aiunt, negamus. Nam si locus depravatus est, quis spurium esse concludat? Quod autem Scorpii nomen perverse legitur, non mirum est. In nomina enim, quae saepe redeunt, plerumque librarii errore memoriae peccant, si quod simile verbum scribendum est *). Praeterea ea versus

---

Conciderat is autem terrae motu anno, ex quo e divendito Demetrii Poliorcetae apparatu bellico exstructus erat. LVIto. Neque oraculi monitu deterriti erigi postea Rhodii passi sunt, quamquam et Ptolemaeus et, ut nunc discimus, Nero pecunias obtulerunt. Cf. Leo Alat. ad Phil. Byz. p. 107. ed. Casp. Orell.

a) Dedi scripturam N. Heinsii: *undique venientes;* (cod: *ad quem convenientes*) non quod vera videatur, sed quia meliorem non exputo. Videtur enim in *adquemcon* nomen aliquod proprium latere; fortasse agri mediterranei, ubi commorari solebat, (Suet. Tib. 12.) quo magis privatum agere videretur. Putabam aliquando: *Abaton venientes. Abaton* erat tropaeum ab Artemisia victrice in media urbe erectum. Id ob religiones deiicere veriti magno circumquaque exstructo aedificio Rhodii occluserunt; unde nomen ἄβατον. cf. Vitruv. II, 8, 15. Nec sane abhorret a Neronis malignitate, tam invisas aedes occupare et salutantium celebrare frequentia. Ceterum frustra Ruhnkenium adulationis crimen hic a Velleio detinuisse monstrant capita comparata Vell. II, 101. et Suet. Tib. 12.

*) Memorabile huius rei exemplum in ipso Manilio legitur L. III, 422; ubi Gembl. et Lips. scribunt: *Laudatique cadit post paulū gra xpi* i. e. *gratia Christi,* quum esset scribendum: *gra pōti.* Digna etiam quae afferatur nota Bentleii: „Venetus librarius, offensus credo lectione

natura est, quae nequaquam interpolationis suspicionem moveat. De quo infra pluribus tractabimus. Nunc quidem videamus, an locum sanare possimus. Quod iam ante nos Bentleius voluit, eo ipso testatus, non videri versum abiiciendum; ita quidem corrigens: *Et cyrenaeas imis radicibus herbas Eruit*. Quod de laserpitio intelligi vult; sed vereor, ne calidius factum sit. Ceterum codd. fere inter se consentiunt. Lips. et Voss. 2: *Tirrenos lacrymis radiat scorpios arces.* Ille a. m. s.: *Tirrhenas*–*radiatus*, quod in carmina recepit Voss. I. Ego corrigo: *Et Zmyrnes lacrimis radiantis Cyprios arces.* Scriptum erat: *radiats* (*radiantis*; sic semper accus. in Man. Codd.) unde litera s. delata ad nomen *Ciprios* seu *Cirpios*, *Scorpios* factus est; *Et*, quod addi oratio postulat, *T.* scriptum, ut solet, *Zmyrnes* nomen ut in *Tyrrhenos* abiret effecit. Est autem haec oratio, si quid video, plane Maniliana. Nihil enim studiosius ambit, quam argutam verborum brevitatem in fabularum mentione. Quid autem argutius, quam splendere aras Cyprios Cypriae virginis et genere et carmine nobilitatae lacrimis, laetas tristibus? Ad quod aliud accedit. Nemo fere illa aetate celebratior fuit, quam *C. Helvius Cinna* propter *Zmyrnam*, epos, quo immani eruditione quaecunque implicatissimae antiquitatis fabulae de Zmyrnae seu Myrrhae natalibus, amore, erroribus, progenie exstabant complexus, in summam obscurissimamque brevitatem incluserat. Atque istud artificium adeo illi aetati placuit, ut non modo Crassitius aequalis commentariis carmina illustraret, sed omnes poëtae ista fabularum aenigmata studiose imitarentur, ut Ovidius Ibide, Gratianus in Cyneg., Lucilius in Aetna, Seneca Tragicus, et ipse, de quo nunc quaerimus, Manilius. Quid igitur mirum, si eius fabulae mentionem iniicere hic non neglexit, ubi de Cypro insula erat dicendum? quam si non hic mecum Manilio reddideris, nusquam, quum esset illustrissima neque tacenda, reperies. Fabula quidem de Myrrha, Cinyrae, Cyprii regis filia vel ex Ovidio nota est. De ingenti Veneris templorum numero cf. Meursii de Cypro insula libros accuratissimos. Quae quod nunc *arces* vocantur, vel ex communi poëtarum consuetudine factum est, vel certam ob causam. Velut, quia Venus diis irata aliquando secedens se illis tuita est. cf. Tzetzes ad Lycophr. v. 826 [1]). Vel ob montuosam insulae naturam et templorum situm altissimum. Unde ipsa Ἀκραίας cognomine in Olympo culta. Strabo p. 469. ed. Casaub. Εἶτ' ἄκρα καὶ ὄρος· ἡ δὲ ἀκρώρεια καλεῖται Ὄλυμπος, ἔχουσα Ἀφροδίτης Ἀκραίας ναὸν ἄδυτον γυναιξὶ καὶ ἀόρατον. Tale nobis descripsit suo

---

tam scelesta, totum versum omisit?“ Scilicet, quod hic ridet in librario Bentl., id ipse nostro loco admisit in se; portentosis enim verbis offensus versum proscribit. Atque quis est mortalium, de quo non narretur haec fabula?

[1]) Ἀφροδίτη ὀργισθεῖσα τοῖς θεοῖς ὑπεχώρησε περὶ τὴν Κύπρον, κἀκεῖ διέτριβε περὶ τὸ καυκάσιον ὄρος. Οἱ δὲ θεοὶ ἐρευνῶντες ἐκεῖσε εὗρον αὐτήν, γραὸς ὑποδειξάσης τὸν τόπον, ἔνθα ἦν κεκρυμμένη.

more Claudian. de Nupt. Honor. v. 49 sqq., ubi inter alia: *tales uxorius obtulit arces;* nec myrrhae oblitus v. 96: *Tardaque sudanti prorepunt balsama ligno.* cf. ibi N. Heinsii exempla. — Si quem genitivus *Cyprios* offendit, (quamquam frequens apud Graecos; cf. Interprr. ad Theocr. Id. XI, 16: Κύπριος ἐκ μεγάλας, ἅ οἱ ἥπατι πᾶξε βέλεμνον.) is per me licet scribat: *Cypridos.* Quamquam propius a *Scorpio Cyprios* forma abest. Eademque forma, nisi fallor, reddenda est Pervigil. Vener. v. 23, ubi rosa dicitur *facta Cypris de cruore deque Amoris osculis.* Ita enim correxerunt e codd. peccantibus: *facta prius de cruore. prius* autem nos ducit ad genitivum *Cyprios.* [k]). Praeter locos allatos in iisdem libris IV. et V. alii duo sunt, quibus de artibus agit elephan-

---

k) Ad eandem normam etiam alius locus revocandus est, L. IV, 629, ubi insulas praecipuas enumerat: *Mile iacent mediae diffusa per aequora terrae: Trinacria Italiae tantum praecisa recessit; Adversa Euboicos miratur Graecia montes; Et genetrix Crete civem sortita Tonantem; Aegypti Cypros pulsatur fluctibus omnis.* Ita nunc versus ultimus ex Bentleii emendatione legitur. »Cypros, inquit, opposita est Nili ostiis et eius fluctibus pulsatur.» Oppositam Aegypto modo legimus in Claudiano; quamquam Geographi, quantum scio, omnes Rhodon potius e regione Aegypti collocant. Dionys. Perieg. 504: Ἄντα δὲ πέζης Αἰγυπτίης Ῥόδος ἐστίν. ubi Eustath. Ἤγουν ἀντικρὺ τῆς τοῦ Δέλτα βορείας κρηπῖδος ἢ στάσεως ἢ βάσεως Ῥόδος κεῖται. Κλυζομένην πελάγει Αἰγυπτίῳ refert Strabo, vel potius omnes Geographi; sed qui *Nili* fluctibus pulsari insulam dixerit, invenio neminem. Neque credibile, septies divisum flumen tanto esse delatum impetu, ut post IV. millia passuum undarum sentiretur appulsus; nam tantum abesse ab Aegypto Cyprum Strabo auctor est. Minuit porro fidem Eustath. ad Dion. Perieg. v. 261, ubi in Pelei urbis descriptione (ἡ γὰρ ἐς αὐγὰς Ἑπταπόρου Νείλοιο νενασμένον ἔλλαχεν ἄστυ) alios notat legisse λελασμένον· ὅ ἐστιν ἐπιλελησμένον τοῦ Νείλου. Sed qui poterat fluvius oblitus dici Pelusii, si vel Cyprum eo pulsari ulla fama tulisset? Non igitur accipimus emendationem. Codd. habent: Egyptia Cypros etc., quod correctores ita mutarunt in Lips: *Pulsatur Cypros Aegyptia fluctibus omnis.* Ita versus aliquo modo ambulat, nos id tantum docemur, insulam fuisse Cypron. Iam finge hanc lectionem nobis unam servatam; quis versum insulsum corrigere audeat? Quod nunc optimo iure facimus: *Et Cypriae Cypros pulsatur fluctibus omnis.* Similiter Avien. Orb. descr. 680: *Lucis ab exortu Pamphilia quae cavat aestum Prolabentis aquae, Cyprus alta cingitur unda, Atque Dionei pulsatur litoris acta. Cipros* et *Ciptos* in MSS. vix differunt; unde factum, ut innumeris locis ea nomina confusa sint. cf. Interprr. ad Propert. II, 1, 31. Hic autem etiam causae suberant errori. Nam Aegypti frequens in Manil. mentio, Cypri raro: veluti modo a Scorpio tanquam alterum Oriona paene obtruncatam servavimus. Accedebat varia primae syllabae mensura, quae fortasse cordatum librarium commovit adeo, ut scriberet *Aegyptia Cypros.* Sed istud nos non debet morari; multoque maiora audent poëtae. Lucret. IV, 1255: *Crassaque conveniunt liquidis et liquida crassis,* et saepius. Lucil. Sat. IX, 1, imitatus Hom. Ἄρες, Ἄρες βροτολοιγέ. Similiter German. Arat. vs. 189 et 191: *Cephĕos, Cephēos.* Ceterum quam commodam sententiam invenerimus, paucis monstretur. Sicut proximo versu Creta ob civem Iovem celebrabatur, sic nunc argute Cypros propter hospitium Veneris; quae undis marinis enata et in insulam eam primum egressa, suis tamen nunc fluctibus eam pulsat. Quod eo gravius dictum videbitur, si Neptunum ἐνοσίχθονα cogitaveris, et crebros terrae motus, quibus iterum iterumque Cypros exercita est. Fortasse tamen ita versus formandus erit: *Et genetrix Crete civem sortita Tonantem Et Cypriam Cypros.* Nam qui in ipsa ea insula natam Venerem dixerint, multi sunt, quorum agmen ducit Hesiodus. — Ne autem *omnis* te offendat, tanquam frigidior, cogita, quam frequens apud poetas huius nominis usus sit. Nunc quidem verbi compositi vicem aegre sustinet, veluti si dicas περίῤῥυτον, πολύκλυστον; quod Avienus supra: *alta cingitur unda.*

torum; quorum illum de elephantibus funambulis interpretantur, hunc Bentleius in eam mentem correxit, ita: *Turpiter in tanto scandentem pondere funes.* Quod si et illa interpretatio et haec correctio vera est, sub Tiberio hos libros conscriptos esse consequitur. Siquidem Sueton. in Galba c. 5. memoriae prodidit, hunc primum, quum praetor esset, ostendisse elephantes funambulos. Iam vero quum is Imperator a. p. Chr. 69, annos natus 72., interierit, non potest praeturam gessisse regnante Augusto, etiamsi, ut docet Suetonius, ante legitimos annos ad honores accessit. Ambiguum est denique testimonium in L. IV, versu ultimo: *Maius et Augusto crescit sub principe caelum.* Scimus enim iam vivum Augustum divinis esse cultum honoribus; vera quidem *ἀποθέωσις* post mortem insecuta; sed quis poëtam ita urgeat, ut alterum cum altero confundendum deneget? Augent dubitationem MSS., qui et *crescit* referant et *crescet.* De usu Maniliano praepositionis *sub* alio loco dicemus. Ceterum acceptum quidem utrique principi carminis argumentum fuisse, probandum vix videtur. De Tiberio Sueton. c. 69: *Circa deos et religiones negligentior; quippe addictus mathematicae, plenusque persuasionis, cuncta fato agi.*

Neque alio utor argumento Bentleii, quo Augusteo aevo Manilium it vindicatum. Quod verbis F. A. Wolfii referam, (Literar. Anal. I, p. 61.) simul contra hunc disputaturus: Von grosser Wichtigkeit hielten Manche, darunter einst *Reiz*, der mich zuerst darüber im Jahr 1785 belehrte, die dort in der Vorrede S. XIII. über das Zeitalter des M. gemachte Bemerkung: es müsse auch darum nothwendig der Anfang des Augusteischen sein, weil sich in dem Gedichte noch kein *ingenii*, *consilii*, *spatii* finde (Bentl. Ter. Andr. II, 1, 20.) Die Bemerkung ist aber täuschend, so scheinbar sie ist. Die Sache wird hier im Vorbeigehn erwähnt, weil mich nach langer eigener Täuschung ganz vor Kurzem die Durchlesung und das Nachsuchen eines genauen Jünglings anders belehrt hat. Jene neueren Genitive sind, Einen zweifelhaften Fall ausgenommen, allerdings nicht im *Manilius*; aber eben so wenig *spati*, *consili* etc., nur ein einziges Mal *negoti* III, 92. etc. — Atqui non deesse exempla, haec doceant: I, 689: *sagittari laevam.* it. II, 211, 560, 569; I, 793: *et Claudi magna propago;* II, 233: *semper fundentis aquari.* it. 464, 505. etc. Neque tamen inde Augusteam aetatem effici putarim; quandoquidem unicuique vel recentissimo licebat, in re minime ignota antiquos sectari. Id autem fecisse multos, velut epicos, qui sequebantur Virgilium, non ignoramus; nec minus antiquitatis studiosus Manilius.

Verum nondum haec aetatis disquisitio profligata videbitur, nisi quae nobis lites ab orationis vitiositate moventur, erunt compositae. Atque primos quidem editores libris non optimis, tum interpolatis usos non semel monuimus; in iis autem libris apertissima ulcera defunctoria quadam opera correcta sunt, graviora vel ne-

glecta vel male occultata et ὕπουλα. [l]). Postquam vero Scaliger accessit, Gemblacensi adiutus, tum Bentleii sagacitas, magna pars macularum, et quae singulis verbis et quae toti orationi inustae erant, exempta est. Ac fortasse nimia id quidem diligentia. Quod praecipue de versibus suppositis valere dicam. Quamquam enim insolitam eorum esse frequentiam negari non potest, (in didacticis enim carminibus crebrior quam usquam interpretandi, adscribendi argumenti, excerpendarum rerum memorabilium, denique glossarum occasio offertur), et quamquam mira sagacitate eos investigavit Bentleius, tamen et paucos etiam nunc latere, et iusto plures innocentes esse proscriptos, exemplis deinceps, si potuero, docebo. Causae vero huius severitatis censoriae et in interprete quaerendae sunt et in Manilii ingenio. Humanum est enim, si perpetuis obluctantes difficultatibus interdum ipsi nobis sponte novas quasi excitamus, quas, si incorrupto iudicio adissemus, videremus esse nullas. Quod etiam in interpretes cadere, in difficillimis praesertim, qualis Manilius est, versantes scriptoribus, naturale est. De *ingenio* autem Manilii praecepturis nobis res paulo altius videtur esse repetenda. Nam poësin a Romanis, non quod eam natura moresve et disciplina invitarent, esse accitam, sed quia vel luxuria hanc quoque artem ad munditiarum supellectilem requirebat, vel respublica ad suos usus laudesque traducturam se illam sperabat, nemo est, qui ignoret. Quare non, quae in suo genere maxime egregia essent, suspiciebant, sed quae vel latissime splenderent, vel vitae quandam praestarent utilitatem [m]). Sic minora poëmata lyrica vel elegiaca lusus vocantes paene contemnebant; Comoediam, Satiram, Epistolam an omnino inter poetica opera referrent, ut quae non magna spirarent, dubitabant. Hinc duo vitia sunt consecuta. Neque enim in pulchri iudicio naturam sequebantur ducem, sed exemplaria Graeca, mox, suorum admiratores facti, opera sua manu versabant; deinde non id ad quod nati erant, quove ingenium vocabat, praestare volebant, sed quod in summo apud suos pretio habebatur, grande, sublime, eximium, denique Epos. Epica igitur posci ab Augusto, epica componi ab iis videmus, qui non, quid humeri valerent, spectabant, sed quid usus flagitaret et principum voluntates. Quod utrumque magnopere obfuit Manilio. Nam quamquam non Solis Lunaeve splendore inter minora ingeniorum lumina fulget, habet tamen etiam ille, quo breviora quidem spatia, conclusaque arto

---

l) I, 95: *et solitum ventis concessit;* correct. *sonitum.* 142: *sitque haec discordia consors:* cor. *concors.* 446: *exsurgit de ponti noti;* cor. *parte.* 478: *sine nomina stellae;* cor. *sine nomine.* Perverse mutantur I, 140 *cum per se cuncta creentur;* (recte codd. *creantur*); accusativi in *is* in: *es; Scorpios* in: *Scorpius; Sagittari* in: *Sagittiferi;* III, 131: *occupat omnem Gratorum sortem dubiam patriosque timores;* cor. *Fatorum*, sed debebant: *Gnatorum;* V, 295: *Hectoris ille faces arcu telaque fugavit.* cor. *arcus et tela;* debebant: *teloque,* Relictorum mendorum exempla passim memorabuntur.

m) Quae breviter hic erant tangenda, eximie exposuit Bernhardy Grundriſs der Röm. Litt. p. 5, sqq.

parietum ambitu suavi luce collustret. Itaque minuta quaedam, quae ob argumenti subtilitatem per singula elaborari propiusque adspici cupiunt, tam nitide saepe describit, ut oculis paene ipsis depictas res nobis videre videamur [n]). Quibus adde versus, nisi ubi Lucretianam simplicitatem affectat, ad unguem factos et rotundissimos, periodos magna plerumque cum arte conclusas et structas, denique formam diligentissime curatam. Quodsi breviore hoc stadio industriam suam voluisset includere, ampliore, nisi fallor, laude dignus censendus esset. Nunc vero, despecta ista rerum terrestrium humilitate, in caeli dumtaxat maiestatem escendendum erat, Phaethontisque repetenda memoria. Nam excidisse ausis unusquisque eum qui legerit, affirmet, concedatque necesse est, non in quemquam mortalium magis posse illud Goethianum dici, quam in Manilium: *Similis cicadae longipedis aethram petit, Mox cantilenam in gramine antiquam refert* [o]).

Neque tamen ista orationis inaequalitas ab uno ingenio, quod suscepti operis granditatem sustinere non posset, sed etiam ab imitationis studio quodam non recto est deducenda. Siquidem didactici illius proximique aevi poëtae (non de Ovidio nunc loquor, nec de Columella) non Virgilium quem sequerentur sibi proposuerunt, sed Lucretium, qui vel propter unam antiquitatem inter Virgilii aequales auctoritate praestabat. Is vero, utpote artis poëticae rudior, duplicem in poëmate suo agit personam; philosophi alteram, alteram poëtae. Atque illa quidem munus docendi, versuum assumta dulcedine, fere unice profitetur; hac praestantissimos prologos, digressionesque et epilogos egregia arte inducit, omnique luminum genere, quibus stricta austerae philosophiae frons diduci possit, distinguere orationem connititur. Quo fit, ut quum a suavissima aliqua digressione ad doctrinae tenuitatem revertitur, interdum demissius videatur incedere [p]). In eo autem artis gradu, qui Lucretii exemplar imi-

---

n) Pauca exempla licebit adscribere; V, 41: *Rector erit puppis, clavoque immobilis haerens Mutabit pelago terras, ventisque sequetur Fortunam, totumque volet tranare profundum Classibus, atque alios Minyas, aliumque videre Phasin et in cautes Tiphyn superare trementem.* 160: Sub lepore natis *Vix alas natura negat volucrisque meatus; Tantus erit per membra vigor referentia ventos. Ille prius victor stadio, quam missus, abibit; Ille cito motu rigidos eludere caestus; Nunc exire levis missas, nunc mittere palmas; Ille pilam celeri fugientem reddere planta, Et pedibus pensare manus; et ludere folle, Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis; Ille potens turba perfundere membra pilarum, Per totumque vagas corpus disponere palmas; Ut teneat tantos orbes, sibique ipse reludat, Et velut edoctos iubeat volitare per ipsum.* Compara vs. 416, sqq. et 658, sqq.

o) Itaque non possum Bernhardy iudicio accedere, qui Scaligeri sententiam secutus, (Grundriſs p. 224) sic ait: *Diesen ungefügigen Stoff* (verius ingeniosus Huetius: *usus est sicca et ieiuna oratione, non ubere, non locuplete, qualem amplitudo materiae, difficilis ut voles et perplexae, sed nobilis certe et late patentis postulat.) — durchdringt eine bewundernswürdige Lebendigkeit und Klarheit in der Einbildungskraft, Darstellung und Sittenmahlerei, welche Gesinnungen und Zustände mit erhabener Begeisterung in einer fast überfliessenden Fülle schildert, und den Schwung eines dichterischen Gemüths verräth.*

p) Id ipsum arbritror Ciceronem indicare in Epist. ad Qu. Fr. II, 11: *Lucretii poëmata, ut scribis, ita sunt: non multis ingenii luminibus, multae tamen artis.* Quamquam si verba spectas,

tabantur, subsistebant. Nam quum poësin non intelligerent non tam mentem docere, quam animum delectare, eas etiam doctrinarum partes versibus amplectebantur, quae ad poësin pertinere nullo modo possunt. Sic, ut uno exemplo defungar, Manilius in L. IV. a vs. 444. singulos singulorum signorum dies vel felices vel infelices ordine dinumerare per sexaginta versus non formidavit, hoc modo: *Lanigeri pars quarta nocet, nec sexta salubris. Septima par illi ac decima est, decimaeque secunda. Quaeque duas duplicat summas, septemque novemque, Unaque viginti numeris pars addita laedit, Et quinta et durum consummans septima partum.* Ita quidem tristissimam hanc partem poëmatis summa cum operositate orationis variavit! Istam vero tenuitatem, ubi ad fabularum ornatum venit, exaggerato tumore compensare quodammodo laborat. Quod initio Andromedeae fabulae, qua Ovidio par esse cupit, comprobabo: L. V, 543: *Proposita est merces, vesano dedere ponto Andromedam, teneros ut bellua manderet artus.* [Cui id legenti non istud in mentem veniat: *Crudum manducam Priamum Priamique pusillos?*] *Hic Hymenaeus erat, solataque publica damna Privatis lacrimis; ornatur victima poenae, Induiturque sinus non haec ad vota paratos, Virginis et vivae rapitur sine funere funus.* Deinde: *Tandem Gorgonei victorem Persea monstri Felix illa dies redeuntem ad litora duxit. Isque ubi pendentem vidit de rupe puellam, Diriguit, facies quem non stupefecerat hostis, Vixque manu spolium tenuit, victorque Medusae Victus in Andromeda est; iam cautibus invidet ipsis, Felicesque vocat, teneant quae membra catenas.* Atque hic ad Helvium Cinnam redeundum est, quem non minus imitatione expressisse Manilium, supra significavi. Quando enim non effusa unius fabulae expositione, sed exemplorum stipata copia agenda res est, illius poëtae more aenigmatum instar conglomerantur; velut L. II, 13, (Cecinit) *Et chaos enixum terras, orbemque sub illo Infantem et primos titubantia sidera partus; Titanasque senes, Iovis et cunabula magni; Et sub fratre viri nomen, sine fratre parentis* etc. it. vs. 28, (in caelum intulere) *Persei et Andromedae poenas, matremque dolentem, Solventemque patrem, raptamque Lycaone natam, Officioque Iovis Cynosuram, lacte capellam, Et furto Cycnum.* vel L. III, 15: *Septenosve duces, ereptaque fulmine flammis Moenia Thebarum et victam, quia vicerat, urbem, Germanosve patris referam, matrisque nepotes, Natorumve epulas, conversaque sidera retro, Ereptamque*

---

ille atque ego plane contraria dicere videmur. Ego enim ingenium tribuo, artem desidero. Sed *ingenii lumina* apud Cic. sunt lumina orationis, i. e. ornatus poëticus, quem ille frequentiorem videre velit, ego ingenii testem adhibeo, quo, quantus poëta fuerit, si semel materiae ariditatem abiiciat, probetur. *Artem* ille in doctrinae Epicur. explicatione collocat, et in versuum, ut tunc erat captus, docta structura; ego intelligentiam artis poëticae requiro. Tullianum tamen locum Eichstadius amplexus in Praefat. ad ed. Lucret. iniquius iudicare videtur, dum poëtarum ingenium in eo magnopere desiderat. Neque tamen tantas in eum laudes congeram, quantas Bernhardy, Grundr. p. 215 sq. Sed medium cursum eumque verum (ut fit) Forbiger tenuit: De Lucret. Cari carmine a scriptore serioris aetatis denuo retractato, pag. 4, sq.; quamquam ipsum libri argumentum non magis mihi probavit, quam Orellio; cf. Jahnii Jahrbücher etc. III, 4, p. 86.

diem. Denique erat etiam interdum philosophandum, fatorumque caelestis praedicanda ratio; quod plerumque suavi verborum flumine et apto sententiarum vigore facere solet. Sed tamen, ut ait Seneca ep. 59. *Non habet verba in potestate; effertque eum oratio, et longius, quam destinaverat, trahit.* Ita fit, ut periodi interdum, quum finitae videantur, procedant: ut eaedem sententiae similibus plane verbis iterum iterumque repetantur, facileque legentes in eum inducantur errorem, quasi glossematis oratio sit interpolata. Qualis vero Manilius est, tales fere sunt Gratianus, Halieuticon scriptor incertus, Lucilius Iunior, Aurelius Nemesianus, alii. Unus Claudianus suus est et suo genere eximius [1]).

Accedit vero ad eas causas elocutionis communes omnium alia quaedam eaque gravissima, quae ut Manilius ab aliis saepe prorsus discreparet, efficere necessario debuit. Est enim non, qui videri vult, homo Romanus, sed peregrinus et advena. Quam quidem sententiam etsi sponte in me natam, non tamen nunc primus propono; sed idem iam Lilius Gyraldus iudicabat, et Bentleium censuisse Richardus nepos auctor est, Praef. p. XIV: *Ex hisce igitur omnibus sic demum statuimus: Auctorem hunc fuisse alicubi fortasse ex Asia peregrinum.* it p. XII: *Quasi vero hoc sit adeo mirum, si in homine peregrino nonnihil peregrinitatis appareat.* it. ad L. IV, 41: *Hannibalem nostris cecidisse catenis;* cur nostris? quasi auctor ab atavis Romanus esset! — Ex Asia peregrinum esse Bentleius, ut opinor, conclusit ex carminis argumento. Ego, si in re lubrica iam nunc aliquid dicendnm est, Afrum esse putarim. Eo iam libri nos ducunt, qui *Poenum* nuncupant, eo etiam oratio luxuriante ubertate diffluens, de qua vide Orell. ad Pervig. Ven. pag. 215 sq., eo praepositionum usus laxior, quarum praecipue *de* pro *a* etc. saepe est obvia, ut mos est Afris, cf. Interprr. ad Pervig. Ven. et Oudend. ad Appul. T. I. p. 250. Exempla sunt: I, 186, 353, 445, 446, 623. II, 450, 560, 754, 939. IV, 590. V, 57. Audacius I, 708: *Movit de gurgite vortex.* 785: *Cossusque prior de rege necato* (in caelum assumtus) II, 455: *Toto de corpore vires exercent.* 754: *ut bene de summa veniat post singula carmen.* IV, 931: animus *Per totum angusto regnat de limite corpus.* IV, 90: *Quidquid de tali studio formatur, habebit.* In eandem patriam id fortasse nos dirigit, quod, quum illa aetate Chaldaeos maxime admirarentur, hic tamen ad Aegyptios auctores astrorum doctrinam retulit; quod res Africas studiosius commendat, quam alias, Carthaginem, Nilum, naturam terrae etc.;

---

1) Hinc apparet, quam verum Bernhardy iudicium de didacticis illis videri mihi debeat, Grundr. p. 224: *Unter den Kaisern setzte sich die Gewohnheit fest, das Lehrgedicht als eine gefällige Form zur Darstellung technischer und praktischer Objecte zu verwenden; wobei mehr die Sorgfalt und das Ebenmaſs der Diction als Selbstständigkeit und Neuheit der Erfindung gefordert wurde.* Quod ad extrema verba attinet, vide, quam se omnes ament, quod viam nondum tritam ineant, et res plane inauditas aut grandes tractent; Grat. vs. 61 sqq., uti nunc leguntur, ordine perverso; nam vss. 61--74. collocandi post vs. 24. Manil. II, 50 et sqq. Lucil. Aetn. 9, sqq. Nemesian. Cyneg. 3, sqq.

quod ex ingenti fabularum orbe Andromedam potissimum, quam exornaret, sibi delegit. Sed accuratius haec inquiri debent, quam adhuc feci. Ceterum similiter iudicasse Huetium, ex Fabric. Bibl. Lat. nunc video. T. I. p. 501: Huetius Carthaginiensem fuisse putabat, nescio quibus argumentis, ut traditur in Memoriis Trevolt. a. 1709. p. 1426.« Ceterum argumenta, quibus Manilii peregrinitatem coargueret, nulla Bentleius addidit; quod nunc mihi ut faciam relictum esse videtur. In quo non ignoro, quam arduum negotium subeam. Quotus enim quisque est, qui, ut alios taceam, vel Fr. Aug. Wolfio quatuor istas orationes Tulliano ingenio indignas esse concesserit? Verum ob hunc pudorem, non, quae vera videntur, silentio premenda arbitror. Itaque haec habe. Nulla linguarum pars neque ad elegantiam gravior neque ad usum difficilior est, quam qua per particulas vincitur oratio. Iam mihi vide, quam ab hac parte debilis sit Manilius. Dum enim paucarum (*si* [1]), *donec*, *quod*,). se gyro includit, alias maximeque usurpatas poetis in orationem inferre non potuit. Veluti *quoniam* locis 5, *quamvis* 4 vel 5, *postquam* 4, *simul* (simulac) 4, (et quod nescias mirone casu an consilio accidisse dicas, ubique addita particula *At*, *At simul*,) *priusquam* 3, *quippe* 3, *antequam* 1, *ut temporale* 1, *quando* nullo loco invenitur. *Quum* vero (siquidem) praeter consuetudinem saepe cum indicativo coniungit; I, 139: *Prohibentque requiri Ultra se quicquam, quum per se cuncta creantur.* cf. I, 742, 854. II, 201, 485 III, 281. IV, 334, 515 et saepius. Eademque infantia in verbis iisdem crebro et ad

---

[1]) In huius vero particulae usu non recte a Bentl. castigatur I, 357: *Cepheus et Cassiepia In poenas signata suas iuxtaque relictam Andromedam vastos metuentem piscis hiatus, Expositam ponto deflet, scopulisque revinctam, Ni veterem Perseus caelo quoque servet amorem auxilioque iuvet.* Ubi Bentl. »*Deflet*, inquit, mater filiam *metuentem* piscis hiatus; *ni Perseus servet amorem.* Atqui si *nunc metuit*, frustra infertur *ni*; quod est *prohibentis metuere.* Deterius est, quod sequitur: deflet *expositam ponto et revinctam scopulis, ni Perseus auxilio iuvet.* Hic vero illud *ni* hoc in se habet: liberatam esse in caelo Andromedam, et scopulis solutam. Scopulis, inquit, revincta esset, ni Perseus auxilium tulisset. Atqui in ἀστροθεσίᾳ semper in iisdem vinclis mansit et manebit!» Deinde corrigit: *Andromede metuat* —, *ni Perseus iuvet*, proscripto vs: *Expositam — revinctam.* Itaque totam nobis figuram sideream Cassiepiae eripuit, ut Grammaticae consuleret. Quod tamen tantum abest, ut fecerit, ut rectissimam orationem nobis abstulerit. Nam Andromeda *metuit*; ergo neque *metuat* neque *metuerit* neque *metuisset.* Res autem ita se habet. Romani quum rem aliquam vel fieri vel factam esse narrant, ita ut adversativa sequatur particula, interdum non per *sed* adversativam orationem continuant, sed per *si* vel *nisi.* (quod idem Graecos facere, satis notum est). Huic particulae, si praecedens oratio in imperf. proponitur, addunt plerumque coni. plusq., velut Virg. Aen. VIII, 522: *Multaque dura—putabant, Ni signum caelo Cytherea dedisset.* Ubi haerebat Heynius; sententia est: illi trepidabant, *sed* Venus eos ostento erexit. At in re praesenti etiam apodosis per *nisi* inducta praesens assumit. Virg. Aen. XII, 73: *At perfidus ensis frangitur, — Ni fuga subsidio subsit.* Ensis vere frangitur, et *esset* T. interflectus, nisi se fuga subduxisset; vel: ensis frangitur, *sed* T. fuga se eripit. Ita plane Cassiepia metuit, *ni* Perseus iuvet, i. e. *sed* P. iuvat. Deinde liberius orationem struebant; quum enim *ni* = *sed* sequi post protasin debeat, interdum in mediam iam protasin inserunt. Virg. Georg. IV, 455. *Orpheus, ni fata resistant, suscitat haec.* Ubi simul vides, etiam in oratione, qua non quod factum est exponitur, sed quod fieri poterat, per ind. praes. efferri; nam Orpheus non suscitavit, sed suscitavisset. Minus ergo in hac parte lingua sibi constat ratione, quam grammatica membrorum structura; ut Aen. VI, 29: *Corripit Aeneas ferrum et — ni comes*

fastidium regerendis notatur. Non loquor nunc de axis, cardinis, verticis, luminum, siderum, stellarum aliorumque ad artem pertinentium verborum repititione, qua fortasse Lucretii sinplicitatem imitari voluit, sed etiam ubi venustus esse cupit, in eodem saepe vado haerere videtur. Pauca apponam. I, 255: *Flammas O r d i n i b u s certis referam, primumque* (alii puto dixissent: *primaeque*) *canentur Quae medium obliquo praecingunt* o r d i n e *mundum.* v. 295 et 297: *Quoque semel coepit, totus volat undique in i p s u m. — Usque adeo tenue ut verti non possit in i p s u m.* In quo simul notare te velim *ipsum* esse *se ipsum*, idque praeter Augustei aevi consuetudinem ei esse familiare. Iisdem vocibus ac casibus praeter multos alios hi versus finiuntur initio libri primi; 149, 152, 156: *auras*; 162, 165: *undas*; 223, 224: *gentes*; vs. 395: *In magnam caeli t e n d e n t e m brachia partem, Nec minus e x t e n t o surgentem ad sidera passu*; V, 54: *His d u c i b u s caeco d u c u n t u r in aequore classes*; I, 476. *Praecipue medio c u m l u n a implebitur orbe, Certa nitent mundo; c u m l u n a conditur omne Stellarum vulgus.* Ubi non sane suavi oratione *cum* modo particula modo praepositio, modo cum nominativo modo cum ablativo *lunae* coniuncta regeritur. Simulque attende mihi ad orationem recte quidem formatam ad analogiam, sed non recte ultra consuetudinem linguae prolatam. Namque est quidem orbis corpus rotundum, deinde cursus in orbem reflexus, denique motus circularis nondum finitus; — velut apud Virgilium *Sol medio orbe consistit*, in quo nemo haerebit, quum *consistere* satis edoceat, quid nunc sit orbis; — at vero si quis *medium orbem lunae impleri* dicet, eum haud dubie de *semilunio* agere omnes putabunt. Itaque sic et Huetius et Scaliger, uterque L. L. ingenium acriter animo persentiscentes, cepere; sed, qui iudicio valet unice, Bentleius de medio cursu menstruo versus interpretandos esse intellexit, quo *plenilunium* est. Atque in his analogiis ultra usum vagis praecipue Manilii peregrinitas potest cognosci. Quum enim innatus ille linguae patriae sensus penitusque inhaerens animo eis deesse necessario debeat, qui linguam aliquam addidicerunt, destituti isto optimo duce ac secuti rationem facile saepeque labuntur; idque vel in verbis singulis, ut in synonymis non recte commistis, vel in continuata oratione cernitur, dum modo figuras non recte transferunt, modo grammatica licentius abutuntur. Quaedam exempla iam supra habuimus, quibus haec addo: I, 73: *Nondum solertia f e c e r a t artes*; i. e. invenerat. 772: *Aetheriusque Platon, et qui f a b r i c a v e r a t illum*; (Socratem dicit) IV, 602: *Cae-*

---

admoneat, irruat; ubi, quia praesens *corripit* praecedit, etiam protasis *ni - admoneat* et apod. *irruat* praeter morem in praes. translata est; nam irruisset, nisi admonuisset. Huic orationi opponantur exempla, quale Tibull. est I, 4, 63: *Carmine purpurea est Nisi coma, carmina ni s i n t, Ex humero Pelopis non n i t u i s s e t ebur.* Sed haec in aliud tempus differenda. Nunc tantum hoc addam, me non posse accedere Doederleinio, qui in libell. de brachylogia serm. Graec. et Lat. hanc etiam orationis formam tanquam ex brevitatis studio ortam ita explicat exemplo usus Tacit. Ann. I, 65: *Caecina circumveniebatur,* [sc. *et circumventus esset*] *ni legio prima se opposuisset.* Ceterum eadem plane res est contrario ordine, si, quum *nisi, εἰ μὴ,* in apodosi exspectas, eius loco *sed, ἀλλὰ,* insequitur.

dunt hispanas aequora gentes i. e. fluctus litora quatiunt. Ubi quum synonyma, *caedere* et *quatere* non recte misceantur, multo minus *gentes* scribi poterant pro *terris*, quamquam praeterea eorum nominum metonymia latissime apud poëtas patet *). Huc referenda sunt verba praeter usum absolute posita II, 233: *Parsque marina nitens fundentis semper aquari;* 464: *crurum fundentis aquari Arbitrium est.* IV, 605: *Italiae sinuantis in undam;* quod omisso *se* nemo dixerit. I, 116: *tantas emergere moles;* Appuleius tamen: *Sed postquam ardua emersi;* ubi cf. Oudend. T. I. p. 12. a. Idemque Appul. p. 339: *Altum soporem descenderat* Neque sane ex analogia fictae orationi quidquam obstat, praeter tyrannum usum. Quod idem valet de IV, 286: *Litoribusque suos populos exponere captos;* i. e. *pisces;* 823: *Scilicet immenso nihil est aequale sub aevo, Perpetuosque tenet flores. Florem,* ἀκμήν, omnes dixere, praesertim genitivo addito, velut aetatis; *flores* nemo, ne distributive quidem, licet innumeris exemplis pluralis pro singulari scribatur in nominibus multis. Idem de *somnis* monendum, perverse pro *somno* scriptis I, 24: *nos in nocte sumus, somnosque in membra locamus.* In quo non nego, quod lexica docent, *somnos* hunc illumve cepisse, in *somnis* hoc illudve vidisse; sed nego pluralem pro singulari scribi, ubi generatim de somno per se dicimus. Quis de somni natura dicturus librum inscribat *de somnis?* Ille *de somno* disputat. Iam utramque notionem posse misceri, ac prae ceteris decere poëtas, ut pro somni natura somnos inducant, non nescio; quando id vero per linguam liceat, id non tam potest doceri regula, quam sensu percipi, quem nunc aio laedi. Eaque, nisi fallor, causa fuit, cur Scaliger corrigebat: *somno sic membra locamus;* quamquam ipse aliam affert a casu desumptam; nihil tamen monens L. V, 147: *in fluctum ponere crines.* Quid si tertia addatur in hypallage posita? qua Virgilium imitari videtur, Georg. IV, 414: *incepto tegeret quum lumina somno;* i. e. quum somnus lumina conderet. Jam concedamus, *somnos* ferri posse pro *somno*, multa esse exempla accusativorum a verbis collocandi pendentium, hypallagen esse admissam haud malam; quid eum dicemus, qui in paucorum verborum ambitu tres illas figuras cumulaverit? Non ego putabo, a barbaro esse hanc orationem fictam, quod ait Bentleius — neque enim sic illi argutantur, — sed comprobari affirmo, eum qui ita scriberet, probe quidem didicisse linguam, sed isto caruisse sensu patriae linguae,

---

*) Itaque recte scripsit I, 43: *Qui domuere feras gentes oriente sub ipso, Quas secat Euphrates, in quas et Nilus inundat.* Quamquam negat Bentl., qui versum alterum spurium esse ait: »et frustra Gronovius substituit *rigat;* riguos amnes atque hortos noveram, riguas gentes nunc primum audio.« Atqui Claudian. in Rufin. II, 111: *Galli, Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit, Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus, Quosque rigat retro pernicior unda Garumnae.* Eodem plane iure *secari* populos dicemus, quum rura, culta, campos secari fluviis omnium poëtarum communis oratio sit. Et si versum IV, 603. ferre debemus, quia abiici nequit: *(Laeva freti caedunt Hispanas aequora gentes),* cur hunc reiiciamus, quia abesse aliquo modo potest? Ceterum *inundare flumina in gentes* praeter consuetudinem dici, Bentleio concedo; sed analogiam L. L. haec verba ferre, et digna Manilio esse contendo.

qui quid deceat, quid non, unice docet. IV, 182: *pacare metu silvas;* i. e. formidine, qua in retia ferae compelluntur; in quo tamen exemplo praeivit Gratianus et ipse peregrinus, nisi fallor, Siculus, Cyneg. 85: *Hic magis in cervos valuit m e t u s;* et v. 88: *si qua m e t u s eludat bellua falsos.* Secutus utrumque Nemesian. Cyneg. 304: *volucresque m e t u praecludere praedas.* Sic linguarum fines proferuntur etiam per exteros. I, 82: *S e d u c t a in varias artes pectora.* Debebat scribere *diducta; seducimus* a coetu, *diducimus* in partes diversas; ut Daedalus, Ovid. Met. VIII, 118: *varias animum dimittit in artes,* Virg. Aen. V, 720: *in curas animus diducitur;* contra *sidera seducto regnant sublimia caelo,* Lucil. Aetn. 34. Sed fortasse librarii errarunt, non Manilius; cf. de crebro in his verbis lapsu librariorum Gronov. ad Senec. Consol. Helv. c. 16. — *Tueri* i. e. curam gerere alicuius (liberos tueri) usurpatum est; Manilius vero eum usum in synonymum non recte transtulit, IV, 707: *Cruraque d e f e n d i t Juvenis.* — Sic etiam *totum* et *omne* inter se ita confunduntur, ut eo aevo a nemine factum videas; unum exemplum nunc afferam, IV, 739: *Cinnama, non t o t i s passim nascentia c a m p i s,* i. e. non ubique. cf. Orell. ad Pervig. Ven. p. 225, v. 22. Ex eadem causa, qua peregrini non ubique, quid usus ferat, possunt sentire, sed scribunt, quod ratio dici posse persuadeat; audacia etiam quaedam enascitur orationis, non consulto quaesita, neque usui congruens. Huc non pauca exempla referri possunt supra adscripta, quibus haec adiungo: I, 403: *Subsequitur rapido contenta Canicula cursu; Qua nullum terris violentius advenit astrum, Nec gravius cedit; namque horrida frigore saevit, Ac vacuum solis fulgentem deserit orbem* [1]). Qui locus quum miram Virgilii similitudinem

---

[1]) Adscripsi locum multis nominibus impeditum ex Salmasii (Plin. Exercitt. p. 308) meaque emendatione correctum; (Codd: *neque horrida — Haec vacuum).* Sed omissa hac disquisitione critica, id nunc agamus potius, ut quam attenta animi acies in omnes partes vertenda sit etiam minutiores, hoc exemplo monstremus. Nam in codd. versuum de quibus tractatur ordo ita turbatus est, ut post vs. 361: *(ex simili dictum. Cepheus et Cassiepia)* quo Ceph. et Cass. ἀστροθεσία describi coepta est, perverse sequatur ad Caniculam referendus vs. 405: *(Haec vacuum Solis* etc.) simul cum proximis XLIV; i. e. ad vs. 449. Post hos demum pergitur in Cass. descriptione vs. 362: *(In poenas signata suas* etc.) donec cum vs. 404: *(Nec gravius cedit* etc.) ad caniculae descriptionem reditur. Quae quidem carminum conturbatio tam aperta est, ut neque Scaligeri sagacitatem effugere, neque eius correctio a quoquam improbari potuerit. Ego vero, quum quaererem, unde haec confusio exorta esset, facile in id deducebar, ut folia quaedam perverse complicata esse putarem. Idque an recte iudicarem inquisiturus, octoginta octo omnino carmina turbari, quadraginta autem et quatuor post aequalem numerum non recte reiecta esse videbam. Unde efficiebatur, ut in unaquaque cod. eius, unde nostri descripti sunt, pagina viceni bini versus essent conscripti; quod si hos versus 22 quatuor inscripseris paginis, ac perverse complicaveris folia, ut prius posterius fiat, eum ipsum habebis ordinem, quem codices offerunt perversum; rite composita verum rerum tenorem monstrabunt. Quod quum per se iucundum sit invenisse, tum utile fuit. Nam primum ii versus, quos intra hos 88 spurios indicavit Bentleius, (non ego), ad iustum numerum sunt retinendi; unde consequitur, aut non esse spurios, aut interpolationem ad remotius saeculum esse referendam, quam et versuum indoles suadet et putabat Bentleius. Atqui si inde a vs. 361 ad initia libri primi retrorsum redeas, paginarum rationem a nobis inventam nullo modo constare videbis, nisi versus haud paucos cum Bentleio tanquam suppositos exemeris. Unde rursus efficitur, ut aut Bentleius in singulis erraverit, aut ut interpolationes non omnes eodem aevo illatae sint

referat, (Aen. V, 513: *Tum rapidus iam dudum arcu contenta parato Tela tenens — Jam vacuo laetam caelo speculatus* etc.) tamen audacia vix excusanda insignis est in vs. extremo, cuius haec est sententia: Sirius occidens et pruinis et gelu saevus orbem fulgentem ita deserit, quasi solis sit vacuus, i. e. quasi soli calor omnis exemptus sit; quod alius fortasse dixerit: *Ceu vacuum solis fulgentem deserat orbem.* Sed quantumvis facilis haec emendatio videatur, non eam in Manilium inferre audeam. Huc refero II, 44: *nata per herbas fata*, i. e. mortem natam. IV, 185: *Sunt quorum similes animos nec moenia frenent, Sed pecudum in membris media grassentur in urbe, Et laceros artus suspendant fronte tabernae, Luxuriaeque parent caedem mortesque lucrentur.* Ubi animadvertis primum laxiorem orationem, qua in vs. secundo nominativus *qui* mente addendus omittitur. Postremi autem versus varie ab interpretibus vexati haec est sententia: Caedem pecorum non quaerunt ob aliam causam, sed ob unam luxuriam i. e. animi causa, quia caede gaudent, neque aliud lucrum expetunt, nisi mortem belluis illatam. Gladiatores enim et bestiarios intelligit, unde *tabernas* patet ad eum morem esse referendas, quo ad alliciendam plebeculam rudes quasdam ludorum picturas illic solebant proponere, qui munera edebant; cf. interprett. ad Horat. Serm. II, 7, 97. Adde II, 584: *Lis una fuit per secula mortis, Alter quod raperet fatum, non cederet alter.* De Oreste et Pylade loquitur; quam audacter, ipsa verba clamant. Praecipue vero in figurarum licentia ea audacia cernitur. V, 582: *inque ipso rapidum mare navigat ore.* Quia enim ad mare interdum poëtae referunt, quae sunt nautarum, cf. Drakenb., ad Sil. III, 157; hic iam in ore belluae marinae navigare

---

sed aliae fuerint in autographo ipso, aliae accesserint in codd. nostris. Deinde vero lemmata adscripta marginibus, et Lips. scholia recentiora esse apparet, quam cod. autogr., quippe quae ad ordinem codd. perversum satis pingui iudicio adaptata sint. Unde porro concludas, non ab eo quidem potuisse, qui talia lemmata et scholia vel adscripserit vel tulerit, versus excussos esse satis eruditos, quos inter spurios Bentl. haud paucos retulit. Postremo (nam quum latius illius inventi utilitates pateant, libri primi me finibus nunc contineo); alius locus L. primi impeditissimus hinc lucem accipit. Nam postquam solis cursum per singula signa menstruum docuit, vs. 557. ita pergit: *Nec mirere vagos partus eadem esse per astra, Et mixtum ingenti generis discrimine fatum, Singula cum tantum teneant, tantoque ferantur tempore; sex tota surgentia sidera luce* — Ita quidem illa oratio finitur. Sed quis non primo statim adspectu truncatam apodosin videat? Nam sententia haec est: Quod si quis miretur, unde tanta morum humanorum varietas oriatur, quum tamen singula signa per integros menses in caelo consistant; is sex unoquoque die signa surgentia — reliqua desunt. Neque quo ea dimidiata sententia sit deducenda latere potest. Est autem haec fere: is sex per diem surgentia signa, totidemque nocturno tempore per caelum volitantia meminerit: diurno quidèm caeli motu, quum supra de solis cursu annuo egerit. Quod quum viderem, intercidisse versum dudum iudicabam. Neque haec una labes est. Namque post versus tres, quibus transitum parat ad doctrinam de zonis caelestibus, ita pergit: *Circulus ad boream fulgentem sustinet Arcton, Sexque fugit solidas a caeli vertice partes.* Ad quod Bentl: »Quota pars circuli sunt sex istae solidae? hoc non liquet. Forsitan auctor dederit: *Sex e triginta fugiens a vertice partes.* Eudoxum Cnidium sequitur, qui totum meridianum in partes 60 divisit; ut a polo ad polum sint 30. Ergo circulum hunc describit non ad Romae situm, sed ad Cnidi, ubi elevatio poli est graduum 36.« Quae verba quo accuratius intelligas, haec addenda videntur: Circulus arcticus non ut apud nos ita apud antiquos stabilis erat; sed centro stabili usus stellae polaris, radium mittebat ad ea signa, quae

ipsum mare dicere audet. V, 590, videt Andromeda *adnantem sibi poenam*, i. e. belluam, cui *in poenam parentum* erat proposita. IV, 130, nec, nisi fata tulissent: *Captus et a captis orbis foret*; (i. e. nec Romani, quorum iam urbs a Porsena expugnata esset, postea orbis cepissent imperium;) *igne sepulto Vulneribus victor repetisset Mucius urbem*. Quem locum, nisi forte coniectura iuvandus videbitur, ita interpretabere: *Vulnera* a poëtis haud raro pro instrumento vulnera inferente scribuntur, ut pro hasta, ense, venabulo. Eo more, sed licentius, nunc manus, quae vulnera intulerant, vulnera ipsas appellat, eisque sanguine stillantibus foculi ignem esse exstinctum; velut Senec. epist. 24: *Porsena spectator destillantis in foculum dextrae stetit*. Sed vix

---

nunqnam oceano mergerentur vel nunquam essent sub finitore; quo igitur maior elevatio poli, eo longior radius ampliorque circulus erat borealis. Neque tamen hic èrravit Manilius, quum Romae Cnidi elevationem sequitur. nam usu iam tum erat receptum, ut Eudoxi circulum omnes ubique tenerent; unde factum, ut sensim arcticus esset stabilis. Gemin. Isag. p. 19. in Petav. Uran. *Ὁμοίως δὲ οὐδὲ οἱ ἀρκτικοὶ ἀπὸ τῶν πόλων τὴν ἴσην ἀπόστασιν ἔχουσι κατὰ πᾶν ἔγκλιμα — καταγράφονται μέντοι γε πᾶσαι αἱ περιφέρειαι πρὸς τὸν ἐν τῇ Ἑλλάδι ὁρίζοντα.* cf. Cleomed. de contempl. corp. cael. I, 5. et ibi Theop. Schmidt p. 100, sq., egregie de circulo arctico disputantem. Quam late arctici fines apud Eudoxum patuerint propter sqq. adponam. Hipparch. p. 206. in Petav. Uran: *καί φησιν* (Eudoxus) *ἐπ᾽ αὐτοῦ κεῖσθαι τὸν δὲ ἀρίστερον ὦμον τοῦ Ἀρκτοφύλακος, καὶ τὰ ἄνωθεν τοῦ στεφάνου καὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ διὰ τῶν Ἄρκτων ὄφεως· τῆς δὲ λύρας καὶ τῆς δεξιᾶς πτέρυγος τοῦ ὄρνιθος τὰ ἄνωθεν· τοῦ δὲ Κηφέως τὸ στῆθος — εἶτα ὑπὸ τοὺς ἐμπροσθίους πόδας τῆς μεγάλης ἄρκτου.* etc. Sed ut ad Bentl. redeamus, acute profecto ille perspexit, non posse e Manilio, quotae istae sex partes essent intelligi; sed averti eam obscuritatem eius correctione negamus. Ut enim de liberiore verborum mutatione taceam, unde iam magis pateat, quotae sint hae triginta, quam quotae illae sex fuerint? Quae quum ita essent, non unum versum, eum de quo supra disputabamus, interiisse, sed alios complures, quibus meridianus in 60 partes divisus ostenderetur, probabile putabam; eoque magis, quod ipse poeta v. 539. profitetur se velle docere: *quantum convexo mundus Olympo Obtineat spatium.* Nunc vero praestanti testimonio et plane insperato corroborari meum iudicium video. Iterum enim in Codd. versus miscentur, ut post vs. 536: *Nec cadere in terram pendentia sidera caeli* perverse sequantur vss. 564—609; deinde demum vss. 537—563. Quas quum quatuor paginis diviseris, videbis in altero folio fuisse 46, in altero, iniuria reiecto post alterum, tantum 38, vel, adnumerata capitum inscriptione, 39. quorum si priori paginae 22 dederis, adversae relinquentur 16 vel 17; deerunt vel 6 vel 5; illi ipsi, inquam, quas desiderari videbam iam dudum. Sed alia in his 17. inquirenda sunt; finiuntur enim duobus his: *Circulus a summo nascentem vertice mundum Permeat Artophylaca petens per terga draconis.* Post quos in Coluro describendo pergitur: *Extremamque secans hydram mediumque sub astris Centaurum etc.* Duos autem illos quum Scaliger ad coluros referret, (fecerat id autem ob inceptam iam circuli arctici descriptionem vs. 537: *Circulus ad boream fulgentem* etc.) plane absurde dici aiebat *mundum nascentem* et alia quorum in coluris nullus locus est. Nunc autem, quum eos rectius ad priores versus retulimus, *nascentem mundum* esse sidera e mari orientia seu finitorem, nullo negotio videmus; eo vero circumferentiam c. arctici terminari modo docuimus. Exoritur ergo iam quaestio, utrum duo hi versus, quos Scaliger damnavit et Bentleius, sint spurii putandi, an vs. 537: *Circulus ad boream*, an neutri. Excipiunt se autem ita: *Circulus a summo nascentem vertice mundum Permeat, Arctophylaca petens per terga Draconis; Circulus ad boream fulgentem sustinet Arcton, Sexque fugit solidas a caeli vertice partes.* E quibus primus mihi certe nequaquam ab interpolatore venisse

credibilis ea et interpretatio et oratio videbitur, praesertim iis, qui Manilii ingenium minus noverunt. Neque enim conferenda est, audacior vel ipsa, oratio German. Arat. v. 365: *Phaethonta, Vulnere reddentem flammas Jovis*, quod recte cepit Orell: e vulnere suo etiam tunc fumante quasi reddentem, efflantem flammas Jovis. Quod nisi caute agendum sit, corrigam: *Ignibus ultus Vulnera*, *bis victor repetisset Mucius urbem;* iterum Senec. epist. 66: *Mucius inermis et mancus et illa manu trunca reges duos vicit*. I, 96: *Nec prius imposuit rebus finemque manumque*, (solertia) *quam* etc. Quem locum varie tentarunt; nam *manum imponere* esse rem gerendam adgredi, in opere finiendo necessario dici *ultimam manum*. cf. D'orville ad Charit. p. 488; Barth. ad

---

videtur. Nam primum, si vss. sqq. (*Extremamque secans;* quae sane capite trunca esse in oculos incurrit) aliquod complementum desiderare librarius videbat, cur addebat, quae ad borealem circulum pertinebant? cur non, quae ad coluros? praesertim cum superscriptio: *De coluris* proxime ante hunc versum praecederet? Deinde carere finitore in circ. arct. non possumus, qui tamen omisso hoc versu nusquam est. Denique ad ipsum te iudicem provoco, an haec plena huius circuli descriptio videri debeat: *Circulus ad boream fulgentem sustinet Arcton?* Itaque primum versum omni modo servandum esse aio, praesertim quum sit finitoris mentio doctior, quam quae interpolatori ei tribui posset, a quo est vs. insequens: *Permeat Arctophylaca.* Primum enim, Arctophylāca quis ferat? Neque ego, qua coniectura is lapsus eximi queat, invenio. Nam possis tu quidem *Arcturonque* corrigere (cf. J. H. Voss ad Arat. Phaen. v. 91). Sed neque hoc, neque aliis nominibus Man. utitur, quae apud alios pro Arctoph. inveniuntur. nec unde haec nominum mutatio exorta sit, facile dicas. Deinde, quod maius est, hic versus arctioribus finibus circ. arct. includit, quam Eudoxi rationes patiuntur; nam ut locus ex Hipparcho supra adscriptus demonstrat, non *petit* Arctophylaca, sed *secat,* neque per *terga* Draconis, sed per *caput* ducitur; eamque rationem etiam Manil. sequi et alia probant et vs. ipse 537: *fulgentem sustinet Arcton*. i. e. in eo circulo ursa maior pedes fulcit — ὑπὸ τοὺς ἐμπροσθίους πόδας τῆς μεγ. ἄρκτου. Est igitur hic versus haud dubie abiiciendus. Nec tamen magis ferendi, qui nunc se excipiunt: *Circulus a summo- Circulus ad boream.* De quibus quid statuam, nondum mihi liquere profiteor. Nam quum in folio vss. 46 habeamus, non 44; duo esse in iis spurios, licet suspicari. At vero eos esse hos ipsos, non consequitur; neque mihi tales videntur, qui per se damnari debeant. Hoc tamen versui: *Circulus ad* etc. obstat, quod fictus esse videtur ex L. IV, 162: *Cancer ad ardentem fulgens in cardine metam.* Sed utcunque se ea res habet, id quidem constare puto, verba: *Circulum ad boream* esse delenda, quibus, quum verum descriptionis initium post 46. vss. esset reiectum, truncata sententia aliquo modo resarciebatur. Cui fraudi eximendae variae viae sunt. Possimus enim vestigia verae lectionis in adulterino quaerere, quem abiecimus: *Permeat artofiloca* (sic. enim codd.) Unde facias: *Circulus-nascentem mundum Permeat ac filo fulgentem sustinet arcton.* (Saepissime Man. circulorum lineas *filis* adsimilat). Ut dicat circuli radium a polo ad finitorem pertinere, circumferentiam duci sub pedibus Ursae. Verum, quanquam circuli ambitus illo uno nominato sidere satis indicari videtur, non tamen is Manilii mos est, qui quaecunque signa tanguntur, ordine numerat. Quapropter similius veri est, in vss. sex vel septem deperditis huius etiam descriptionis partem esse ablatam; ut unus tribuatur signis diurnis, duo Eudoxi gradibus, tres vel quatuor circulo arctico. — Pauca adiiciam: Bentleius sex versus cum 539no hinc amotos post vs. 274. collocavit. Id nostra versuum dinumeratio non patitur, probabiturque, quum ad eos pervenerimus, nullam, cur transponantur, adesse causam. Denique inter versus confusos superiores (88) et hos alii intersunt non turbati 88. Unde apparet, folia fuisse non quater plicata vel saepius, sed duplicata omnia. Quod si in magna hac foliorum forma viceni tantum bini versus paginis erant inscripti, non improbabile est, cod. istum fuisse literis exaratum quadratis. Cui rei si alia accedent testimonia, magna inventi erit ad errores eximendos utilitas, qui plerique ex literarum ductibus non acriter inspectis oriuntur. —

Grat. Cyneg. 6; Cort. ad Lucan. V, 483. Quare cum libris interpolatis omnes legerunt *finemque modumque.* Non recte; nam modum imponimus, quum vagas libidines finibus veris includimus, illa vero solertia cunctas res insatiabili cupiditate petebat noscendas. Itaque recte Bentl. restituit *manumque*; sed cur ita scribere liceat, non adiecit. Per ἓν διὰ δυοῖν dixit *finemque manumque*, i. e. ultimam manum. Sed quia aliter dicebant *finem imponere*, aliter *imponere manum*, et utrumque dudum quasi in formulam abierat, nemo, qui esset Romanus, ita loqui potuit, ut facit Man. — II, 581: *Idcirco nihil ex semet natura creavit Pectore amicitiae maius. Amicum pectus* multi dixerunt, cf. N. Heins. ad Ovid. Art. Am. I, 585; *amicitiae pectus* Stat. Silv. IV, 4, 102, ubi vide Markl., et alii seriores; nemo, quod sciam *creare pectora amicitiae naturam;* quare multi multifariam correxerunt, (cf. Jever. ad Lucan. III, 406.) non ego; complures enim, ut saepe, figuras cumulat; sententia est: natura amicos fidos paucos procreat. Eodem pectoris nomine licentius utitur V, 530; sub geminis natus: *dotes saltus cum pectore iungit.* Nam dixit quidem Horat. Epist. I, 4: *Non tu corpus eras sine pectore,* sed in antithesi; hic saltatio εὔρυθμος (quae et ipsa mire dicitur: *dotes saltus*) vix sibi opponi simplex pectus patiatur. Cui conferas II, 666: *Nec metuit sine corpore quenquam Scorpios*; i. e. sine alio sidere vel comite. Quod unde explicationem habeat, vide in Viger. de Idiot. Gr. L. sub voce σώματος. Nec abhorret III, 230, quibus *in Centauri corpore sors est Nascendi;* quamquam hic quidem ex more Latino loquitur; quid loci distent, me interprete non eget. Liberiorem ad gram. orationem vide II, 571: *Inque odium generat partus et mutua velle.* Quamquam enim infinitivi pro substantivis frequentes, non tamen ut a praepositione *in* pendeant, vel opponantur substantivo, ut hic *odium* et *mutua velle*, i. e. odium et amicitia. I, 156: *Fluctusque natantes aequora perfudit*, i. e. fudit per aequora. Quid omnino verba Latina, quando praepositiones sibi innectant, patiantur, nec brevitatis huius est docere, neque consilii. Hic pauca de praep. *per* paucis tetigisse sufficiat. Cum hac praep. verba tantum neutra ita iunguntur, ut sive cum verbo copularis, sive substantivo suo apposueris, in forma orationis nihil mutetur, *ut percurrere maria, currere per maria.* (Taceo nunc, *perire aliquem* et similia; id tantum moneo, apud Terent. Eunuch. I, 2, 25, *huc atque illuc perfluo*, non mutandum videri in: *huc atque illuc perpluo*, ut Bentl. statuit, acute, ut solet disputans.) Sed in verbis transitivis verborum vel rectio vel vis praepositione mutatur. Velut *perfundere caput unguentis* si verbo simplici eloqui velis, dicas oportet: *fundere unguenta per caput. Pervidere* autem vi mutata est accurate oculis perlustrare. Quamquam huius ipsius verbi fortasse exceptio apud Horatium est, Sat. I, 3, 25: *Quum tua pervideas oculis male lippus inunctis.* Ubi quum *pervidere* non possit esse acriter percensere, vario modo corrigunt. Sed non potest, ut videtur, ulla coniectura inveniri, quae cunctis placeat, unde ab ipso Horatio venisse dicas *pervidere* i. e. oculo celeri percurrere vitia. Ea quidem licentia nunc Manilius utitur: *aequora per-*

fudit; ita tamen ab Horatio deflectens, ut hic possis orationem solvere: *fudit per aequora*; non aeque apud Horat.: *videre per vitia*. Nove etiam I, 228: *Quibus ille supervenit astris*, quod quatenus ab aliorum usu recedat, Lexica possunt docere. Graviora sunt alia; velut I, 409: *Pars iuvenis tergo pectus commissus equino*; cui adde accusat. *pectus* licentius positum. III, 434: *totidem per partes sic breviantur*; quod verbum serius in usum venit omnium. V, 165: *tantos*, i. e. *tot* orbes. V, 577: *promissu*, quod unus Manil. habet. V, 565: *resonavit*; II, 111 et 113: *mitto*, *quod*; III, 20: *memorat*, *quod*. Quid, quod fortasse *biferum* scripsit pro *semifero*? II, 230; V, 15. Utrumque enim locum Bentl. interpolatum censet. itemque I, 170. *missurus iamque sagittam*; ubi *que* abundat. Immanem, ut in epico, parenthesin V, 94 propter longitudinem non adscribo. Nec minor licentia in verbis ordinandis: I, 435: (Gigantes) *arma importantes e rupta matre creata, Discordes vultu, permixtaque corpora partus.* II, 14: *et primos titubantia sidera partus* II, 663: *Et duo centauri licet uno corpora textu.* Volebam de usu praepositionum *per* et *sub* Maniliano quaedam adponere; sed poterit ea disputatio commodius ei quaestioni adiungi, quam de versibus suppositis instituere in animo est. Nunc quidem id mihi effecisse videor, ut quando et quis Manilius fuerit, tum quali ingenio usus, paulo certius quam antea constet. Quibus inventis tutius procedere licebit ad singulas carminum difficultates et iudicandas et explicandas.

Index locorum, de quibus in hac dissertatione tractatur:

Pag. 3, not. b. l. 2 a fin. leg. *quam*, non *quum*.
» 9, not. k. l. 11. leg. *stadiorum*, non *passuum*.
» 12, not. p. l. 1. leg. *arbitror*, non *arbritror*.